





IMAGE EVALUATION TEST TARGET (MT-3)



6"



Photographic Sciences Corporation

**23 WEST MAIN STREET
WEBSTER, N.Y. 14580
(716) 872-4503**


14
128
132
136
125
120
18

**CIHM/ICMH
Microfiche
Series.**

**CIHM/ICMH
Collection de
microfiches.**



Canadian Institute for Historical Microreproductions / Institut canadien de microreproductions historiques



1982

101

Technical and Bibliographic Notes/Notes techniques et bibliographiques

The Institute has attempted to obtain the best original copy available for filming. Features of this copy which may be bibliographically unique, which may alter any of the images in the reproduction, or which may significantly change the usual method of filming, are checked below.

- Coloured covers/
Couverture de couleur
- Covers damaged/
Couverture endommagée
- Covers restored and/or laminated/
Couverture restaurée et/ou pelliculée
- Cover title missing/
Le titre du couverture manque
- Coloured maps/
Cartes géographiques en couleur
- Coloured ink (i.e. other than blue or black)/
Encre de couleur (i.e. autre que bleue ou noire)
- Coloured plates and/or illustrations/
Planches et/ou illustrations en couleur
- Bound with other material/
Relié avec d'autres documents
- Tight binding may cause shadows or distortion along interior margin/
La reliure serrée peut causer de l'ombre ou de la distortion le long de la marge intérieure
- Blank leaves added during restoration may appear within the text. Whenever possible, these have been omitted from filming/
Il se peut que certaines pages blanches ajoutées lors d'une restauration apparaissent dans le texte, mais, lorsque cela était possible, ces pages n'ont pas été filmées.
- Additional comments:/
Commentaires supplémentaires:

L'Institut a microfilmé le meilleur exemplaire qu'il lui a été possible de se procurer. Les détails de cet exemplaire qui sont peut-être uniques du point de vue bibliographique, qui peuvent modifier une image reproduite, ou qui peuvent exiger une modification dans la méthode normale de filmage sont indiqués ci-dessous.

- Coloured pages/
Pages de couleur
- Pages damaged/
Pages endommagées
- Pages restored and/or laminated/
Pages restaurées et/ou pelliculées
- Pages discoloured, stained or foxed/
Pages décolorées, tachetées ou piquées
- Pages detached/
Pages détachées
- Showthrough/
Transparence
- Quality of print varies/
Qualité inégale de l'impression
- Includes supplementary material/
Comprend du matériel supplémentaire
- Only edition available/
Seule édition disponible
- Pages wholly or partially obscured by errata slips, tissues, etc., have been refilmed to ensure the best possible image/
Les pages totalement ou partiellement obscurcies par un feuillet d'errata, une pelure, etc., ont été filmées à nouveau de façon à obtenir la meilleure image possible.

This item is filmed at the reduction ratio checked below/
Ce document est filmé au taux de réduction indiqué ci-dessous.

10X	14X	16X	18X	20X	22X	24X	26X	30X
<input type="checkbox"/>	✓	<input type="checkbox"/>	<input type="checkbox"/>					

12X 16X 20X 24X 28X 32X

The copy filmed here has been reproduced thanks to the generosity of:



Bibliothèque nationale du Québec

The images appearing here are the best quality possible considering the condition and legibility of the original copy and in keeping with the filming contract specifications.

Original copies in printed paper covers are filmed beginning with the front cover and ending on the last page with a printed or illustrated impression, or the back cover when appropriate. All other original copies are filmed beginning on the first page with a printed or illustrated impression, and ending on the last page with a printed or illustrated impression.

The last recorded frame on each microfiche shall contain the symbol → (meaning "CONTINUED"), or the symbol ▽ (meaning "END"), whichever applies.

Maps, plates, charts, etc., may be filmed at different reduction ratios. Those too large to be entirely included in one exposure are filmed beginning in the upper left hand corner, left to right and top to bottom, as many frames as required. The following diagrams illustrate the method:



L'exemplaire filmé fut reproduit grâce à la générosité de:

Bibliothèque nationale du Québec

Les images suivantes ont été reproduites avec le plus grand soin, compte tenu de la condition et de la netteté de l'exemplaire filmé, et en conformité avec les conditions du contrat de filmage.

Les exemplaires originaux dont la couverture en papier est imprimée sont filmés en commençant par le premier plat et en terminant soit par la dernière page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration, soit par le second plat, selon le cas. Tous les autres exemplaires originaux sont filmés en commençant par la première page qui comporte une empreinte d'impression ou d'illustration et en terminant par la dernière page qui comporte une telle empreinte.

Un des symboles suivants apparaîtra sur la dernière image de chaque microfiche, selon le cas: le symbole → signifie "A SUIVRE", le symbole ▽ signifie "FIN".

Les cartes, planches, tableaux, etc., peuvent être filmés à des taux de réduction différents. Lorsque le document est trop grand pour être reproduit en un seul cliché, il est filmé à partir de l'angle supérieur gauche, de gauche à droite, et de haut en bas, en prenant le nombre d'images nécessaire. Les diagrammes suivants illustrent la méthode.

P 378.713

Ot 8ch

CONSTITUTIONES
CATHOLICÆ UNIVERSITATIS OTTAWIENSIS

62152

P378.713

CONSTITUTIONES
CATHOLICÆ UNIVERSITATIS OTTAWIENSIS

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

LEONE XIII

APPROBATÆ

BIBLIOTHEQUE
SAINTE ANNE

PARISIIS
TYPOGRAPHIA A. HENNUYER

VIA DAR CET, 7

—
1891

GUANTOLINA
TOPLUZ-TILAS

LITTERÆ APOSTOLICÆ
QUIBUS COLLEGIUM OTTAWIENSE DIGNITATE

ET

JURIBUS CATHOLICÆ UNIVERSITATIS DECORATUR

LEO PP. XIII

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Cum Apostolica Sedes omni tempore curas suas ad tuendam fidei integritatem morumque disciplinam studiosissime adhibuit, tum etiam in eodem peradvigilavit, ut ampla domicilia doctrinis bonisque artibus excolendis catholicæ juventuti paterent, in quibus recta mentis atque animi institutio ad privatam ac publicam societatis humanæ utilitatem posset hauriri, eademque cum opus esse censuit, nunquam prætermisit, quin eorum domiciliorum dignitati, stabilitati et prosperitati adserendæ suæ auctoritatis et opis præsidia conserret.

Has ob causas gratissimum fuit Nobis intelligere jam inde ab anno Christi MDCCXLVIII, Ottawæ præclara in urbe Canadensis regionis, Collegium juventuti catholicæ instituendæ conditum fuisse a Josepho Eugenio Guigues, illustris memo-

riæ, Presbytero Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ, qui primus Ottawæ Episcopus datus est, idemque Collegium ampliora in dies incrementa feliciter suscepisse, tum Collegii ædificio novis operibus amplificato, tum bibliotheca instituta, et museis omnique instrumento ad omnigenam eruditionem comparatis, tum concursu et frequentia alumnorum quos laus et fama institutionis e longinquis etiam locis excivit, adeo ut Collegium ipsum decreto edito a supremo Canadensis regionis Concilio legifero anno MDCCCLXVI dignum judicatum fuerit, ut justum ac legitimum Universitatis civilis studiorum nomen acciperet, omnibusque donatur juribus quibus cæteræ Universitates potestatis civilis auctoritate fruuntur.

Cum hæc Collegio Ottawiensi fauste et feliciter evenissent, huic Apostolicæ Sedi anno MDCCCXLVIII, preces oblatæ sunt Præpositi Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ, ac doctorum decurialium Collegii, necnon litteræ Archiepiscopi Ottawiensis impense postulantum, ut idem Ottawiense Collegium tot nominibus commendatum, dignitate et juribus catholicæ Universitatis, ex more institutoque Apostolicæ Sedis augeretur.

Hujusmodi preces Nos libenter excipiendas censuimus. Novimus enim quantas opportunitates habeat Lyceum magnum optimorum studiorum in urbe nobilissima Ottawæ Archiepiscopalnis cathe-

dræ honore aucta et civilis regiminis sede, constitutum, quæ natura loci media inter alias Canadensis regionis urbes assurgens, omnibus commenantibus facile pervia est, ac ex presentia insuper lectissimorum virorum, qui in supremis civilis potestatis consiliis sedent, quique rerum publicarum administrationem gerunt, splendidam capit accessionem dignitatis. Novimus etiam quo studio dilecti filii Sodales Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatae ab anno MDCCCXLVIII rectæ institutioni juventutis operam dederint, curis pariter ac opibus suis in hoc salutare opus, ejusque tuitionem ultro collatis, et quantopere semper cordi fuerit ejusdem Congregationis Praepositis apud suos, obsequium erga Apostolicam Sedem et sacrorum Antistites, uti decet tueri et fovere, ac præstantes suæ Congregationis alumnos ad docendi munus in Ottawiensi Collegio promovere, quorum piures in hac alma Urbe in Gregoriano Lyceo Societatis Jesu doctrinæ laurea ornati fuere, simulque advigilare ut philosophicæ ac theologicæ institutiones ex sancti Thomæ Aquinatis doctrina traderentur, quibus rebus factum esse compertum habemus, ut plures præclarique ex Ottawiensium doctorum disciplina alumni prodierint qui existimationem et decus institutoribus suis late conciliarunt.

Nos igitur hisce rebus rite perpensis, et communibus votis libenter annuentes, tum Venerabilis Fratris Josephi Thomæ Duhamel, Archiepiscopi

Ottawiensis, tum Præpositi et Sodalium Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatæ aliorumque illustrium Ottawiensium civium, hisce litteris, ad majorem Dei gloriam, ac incrementum catholicæ religionis, ac decus utilitatemque Canadensis regionis, Ottawiense Collegium catholicæ juventuti crudendæ a Congregatione Oblatorum Mariæ Immaculatæ conditum, ejus regimen et magisteria a Presbyteris Congregationis ejusdem sub hujus Sanctæ Sedis, et Archiepiscopi auctoritate geruntur, canonica institutione ad dignitatem catholicæ Universitatis studiorum evehimus, eidemque Universitati jus attribuimus, ut Magisterii lauream, aliasque gradus academicos in singulis doctrinæ generibus ad consueta Universitatum statuta et leges conferre possit.

Cum porro plurimum intersit ad prosperitatem Universitatis et decus, eam rectis aptisque legibus prudenter instrui, quibus regimini ejus opportune consulatur, volumus et statuimus, ut ejusdem Universitatis statuta, et leges huic Apostolicæ Sedi, primo quoque tempore, exhibeantur, quo iis mature expensis, Ea possit suæ auctoritatis robur adjicere. Volumus praeterea, ut Apostolici Cancellarii munere in eadem Universitate, Venerabilis Frater Archiepiscopus Ottawiensis et qui post eum futuri sunt in Archiepiscopali Sede, fungantur, atque ut ipse Archiepiscopus et successores ejus, necnon alii Provinciæ Ottawiensis et Torontinæ

episcopi, qui Seminaria, Collegia, aliaque hujusmodi instituta, prædictæ Universitati aggregaverint, rectæ sanæque doctrinæ tuendæ in eadem Universitate præsent. Potestatem denique facimus eidem Universitati, ut ad morem Lycei Magni Quebecensis, alumnos, qui in Seminariis, Collegiis aliisque institutis ecclesiasticarum Provinciarum Ottaviensis et Torontinæ dumtaxat erudiantur, in numerum alumnorum suorum adseiscat eosque paribus ac cæteros Ottawiensis Lycei auditores favoribus prosequatur. Hæc volumus et statuimus ac propterea decernimus has Litteras Nostras firmas validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, atque illis ad quos spectat, et pro tempore quomedolibet spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari; sieque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolice Nuntios, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, atque irritum et inane esse, si secus super his, a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus licet speciali, atque individua mentione ac derogatione dignis in contrarium sufficientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo

— 10 —

Piscatoris, die V februarii MDCCCLXXXIX,
pontificatus Nostri anno decimo primo.

Pro Domino Cardinali LEDOCKOWSKI,
F. FAUSTI, substitutus.

Locus † sigilli.

XXIX,

LITTERÆ CANCELLARII ET PRÆSIDIS

UNIVERSITATIS OTTAWIENSIS

AD SANCTISSIMUM DOMINUM NOSTRUM

LEONEM XIII.

BEATISSIME PATER,

Universitas Ottawiensis, a Sanctitate Tua anno nuper elapso constituta, ad sacros pedes provolvitur in persona Illustrissimi Cancellarii Josephi Thomæ Duhamel, Archiepiscopi Ottawiensis, et Reverendissimi Præsidis Cœlestini Augier, e Congregatione Oblatorum Beatissimæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ejusdem Congregationis præpositi provincialis pro Canada, qui Romam eo fine petierunt; et Tibi, ut Auctori et Parenti munificentissimo, grati animi sensus significat iterum atque iterum.

Non enim aliquorum, imo vero commune omnium bonum, nec vulgare, at insigne Providentia Tua Canadensi regioni contulit beneficium, cum Ottawiense Collegium dignitate et juribus Catholicæ Universitatis decoravit; quod Moderatores, Doctores, et quotquot unquam erunt alumni, memoria servabunt imperitura.

Quod verbis profitemur re et factis implere

satagamus. Sedi apostolicæ arctius hærere, Ejus jura vindicare, leges tueri, jussis parere, consiliis obtemerare, mentem in omnibus sequi, religio nobis erit. Doctrinam vero ex Aquinatis limpidissimo fonte hausturos, et tradituros, nec latum unguem ab eis discessuros, prompto libentique animo spondemus, jamque pro virili parte fecisse testamur.

Quum autem ad Universitatis prosperitatem ac decus eam rectis aplisque legibus instrui statueris quibus ejus regimini consulteretur, mandato huic Tuo obsecundantes iiii^{em} Cancellarius et Præses Constitutiones Universitatis sive generales, sive speciales Sanctitati Tuæ recognoscendas, examinandas et pro sapientia Tua adprobandas exhibent. Qua adprobatione semel concessa, impositum erit aedificio fastigium, et firmum, sartum tectumque stabit Leoninum opus.

Interim dignetur Sanctitas Tua filiorum suorum humillimorum sensus acceptos habere, precibus annuere, et nobis omnibus, Cancellario, Præsidi, Professoribus, Doctoribus Alumnisque universis, qui sacros pedes pie deosculamur, huicque nostræ devotissimæ Universitati, Apostolicam Benedictionem impertiri.

† J. THOMAS, Archiep. Ottawiensis.

Cœlestinus AUGIER, O. M. I.
Prov. et Universitatis Ottawiensis Præses.

scura
tem-
erit.
fonte
b ea
mus,

n ac
ueris
huic
eses
sive
umi-
ent.
erit
que

rum
bus
idi,
sis,
træ
ic-

.

LITTERÆ APOSTOLICÆ
QUIBUS APPROBANTUR CONSTITUTIONES
SIVE GENERALES SIVE SPECIALES
CATHOLICÆ UNIVERSITATIS OTTAWIENSIS.

LEO PP. XIII
AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Cum Nobis Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum vestigiis inhörentibus potius nihil sit atque antiquius, quam ut catholica juventus optimis informetur disciplinis, ad nobiliora religiosæ in litteris ac scientiis institutionis lycea, quæ et doctorum præstantia, et auditorum frequentia eniteant, cogitationes curasque nostras intendere pro re ac tempore satagimus. Hac mente Conlegium in pæclara Canadensis regionis urbe cui vulgare nomen « Ottawa » jam inde ab anno MDCCCXLVIII fundatum, amplioribusque in dies continuo, nec intermissis unquam, incrementis ornatum, ideoque anno MDCCCLXVI a supremo legifero Consilio Canadensis regionis nomine et juribus Universitatis civilis auctum, precibus suffragiisque annuentes Præpositi generalis Congregationis Oblatorum Mariæ Immaculatae, cui idem Conlegium conereditum est, et Doctorum ipsius Conlegii Decurialium, neconon

Venerabilis Fratris Archiepiscopi Ottawiensis, per Litteras Apostolicas quæ incipiunt *Apostolica Sedes* anno M DCCC LXXXIX datas dignitate ac juribus Catholicæ Universitatis decoravimus. Nonnulla insuper statuimus ad ipsius Universitatis bonum perutilia, ac perpendentes ad Universitatis prosperitatem ac decus plurimum interesse eam rectis aptisque legibus prudenter instrui, quibus ejus regimini opportune consuleretur justissimus ut illius Universitatis statuta et leges Apostolicæ huic Sedi primo quoque tempore exhiberentur, quo iis mature examinatis auctoritatis Nostræ robur adjiceremus. Mandato huic Nostro tum Venerabilis Frater Ottawiensis Antistes, tum dilectus filius Universitatis memoratae Rector nuper obsecundantes, Statuta seu Constitutiones Universitatis generales et speciales seu proprias Facultatum Philosophiae, Theologiae ac Juris Canonici Nobis exhibuere enixe adprecantes, ut ad examen illas revocare et Apostolica auctoritate confirmare dignaremur. Nos autem omnibus rei momentis attento ac sedulo studio perpensis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandæ Fidei præpositis, postquam prævio maturo examine statuta et constitutiones præfatas, de Fratrum eorumdem consilio, opportune emendavimus memoratis precibus annuendum existimavimus. Quare omnes et singulos, quibus Nostræ hæ litteræ savent, peculiari benevolentia complec-

tentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenitentia quovis modo vel causa latis, si quas forte incurserint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutas fore censemtes, Catholicæ Universitatis Studiorum Civitatis Ottawiensis Statuta, seu Constitutiones generales, ac speciales Philosophiae, Theologiae et Juris Canonici facultatum, emanatas, juxta exhibitum exemplar, cujus prima verba sunt *Universitati Catholicæ*, postrema vero *Nihil in hisce Constitutionibus immutandum aut tollendum inconsulta Sancta Sede*, quod in tabulario Secretariæ Nostræ Brevium custodiri mandavimus, Apostolica Nostra Auctoritate praesentium vi definitive approbamus, sancimus, ratasque habemus, Decernentes has Nostras Litteras firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat, et in posterum spectabit in omnibus plenissime suffragari, siveque per quoscumque Judices ordinarios et delegatos judicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scientes vel ignorantes contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XII Junii M DCCC XCI Pontificatus Nostri anno decimoquarto.

M. Card. LEDOCHOWSKI.

CONSTITUTIONES GENERALES

CATHOLICÆ UNIVERSITATIS OTTAWIENSIS

I. — DE UNIVERSITATIS SCOPO.

1. Universitati catholice Ottawiensi is præstittitur finis ut catholice fidei prælucente et regente veritate, juventus bonis disciplinis, per superiores divinarum humanarumque scientiarum gradus instituatur.
2. Tanquam Supremum Magistrum Universitas habet Romanum Pontificem, Catholicæ Ecclesiæ Pastorem ac Doctorem infallibilem, cuius apostolicam auctoritatem plena perpetuaque submissione colet.
3. Ut litteris apostolicis Summi Pontificis LEONIS XIII gloriose regnantis, datis idibus Martii anno MDCCCLXXXIX, præcipitur, Universitati custodes patroni ducesque aderunt: imprimis Archiepiscopus Ottawiensis, tanquam Cancellarius Apostolicus, tum reliqui Episcopi provinciae ecclesiastice ejusdem nominis atque Episcopi regionis Ontario qui propria seminaria, collegia ceteraque hujusmodi Instituta Universitati cooptaverint. Horum omnium erit rectæ sanæque doctrinæ tradendæ in Universitate präesse.
4. Quoad reliqua vero omnia, Universitas, quæ

curis Congregationis Missionariorum Oblatorum SS^{mae} et Immaculatæ Virginis Mariæ perpetuo addicitur, regimini Superioris Generalis ejusdem Congregationis suberit. Is autem auctoritatem, hierarchico ordine servato, in Universitate generatim exercebit, integro tamen ipsi jure interveniendi directe cum id expedire judicaverit.

5. Sub apostolici Cancellarii prædicatorumque in art. 3 Episcoporum vigilancia et sub Superioris Generalis, prout in art. 4 statuitur, auctoritate. Universitatem moderabitur Rector, assistantibus concilio administratorum et senatu academico.

6. Reectori, qui in Universitate residere oportet, præsto erit proprius Vicarius (seu Vice-Rector) atque insuper addentur Secretarius Universitatis, Præfectus studiorum, Præfectus disciplinæ et Procurator.

7. Pro opportunitate, copia cum suppetat, omnes sensim facultates instituentur, quæ perfectam Universitatem decent, ac tot numero statuentur docentium cathedræ, quot utilitas alumnorum suaserit.

II. — DE EPISCOPORUM CONSILIO.

8. Quum Archiepiscopis et Episcopis de quibus superiorius sermo est in art. 3 id officii incumbat ut quoad doctrinas moresque tum doctorum tum alumnorum advigilent, hunc ad finem una ipsi convenient in Urbem Ottawiensem semel, saltem, in

*

anno. Hujusmodi autem conventui præerit Cancellerius, eoque absente, prior inter Archiepiscopos, et, si nullum adesse Archiepiscopum contigerit, præsideat prior inter præsentes Episcopos.

9. Eosdem convocare insuper poterit Archiepiscopus Cancellarius quotiescumque ipse opportunum id duxerit, vel etiam cum id ab ipso expetierit, rationum momentis adductis, quivis ex Episcopis ad consilium pertinentibus.

10. Ea solum decreta vim habeant quæ ex plurimum suffragiis lata fuerint, dummodo major pars Episcoporum deliberationi adfuerit : votis vero utrinque paribus, Archiepiscopo aut Episcopo qui præerit præponderans suffragium referatur, nisi rei gravitas ad aliam sessionem plurimum suffragiis judicium definitivum differre suadeat.

11. Caeterum nihil ipsi statuere queunt quod literis apostolicis de canonica Universitatis erectione, aut constitutionibus a Sancta Sede approbatis, aut actui civilis recognitionis (civilis adprobacionis diplomati) aut eorum juribus, qui Universitatis personam coram civili lege gerunt, aduersetur. Eas solum præcipere expensas poterunt, quas viribus suis haud impares consilium administrationis judicaverit.

12. Si quid in doctrina aut moribus reprehensione dignum ab ipsis existimetur, rite antea vestigatum et compertum scripto accurate definitum proponant. Item judicare Episcopi debent si quid

exploratum ipsis fuerit in Universitatis regimine aut doctrina tradita quod eorum judicio, vergere queat in detrimentum Ecclesiæ aut rei publicæ.

13. Quidquid ipsi animadvertisendum habeant de doctrina aut modo procedendi Universitatis, vel de ratione agendi cuiuspiam, Rectori proponant; ei vero nunquam de quo res agitur. Quod si res foret de ipso Rectore, tum Cancellarius animadversiones proprias aut Episcoporum Superiori Generali aut Provinciali exhibebit. Hujusmodi autem animadversiones nihil prorsus minuunt de juribus quibus Ordinarius, sive ut talis, sive ut Cancellarius pollet.

14. Rector præhabito Consilii administrationis sensu, singulis annis, haud serius idibus Augusti, scripta referat quæ per annum in Universitate fuerint peracta eaque sic litteris consignata exhibeat etiam Episcopis cum in annualem conventum coiverint.

15. Universitas submissum animo obsequium ac conjunctissimam voluntatem erga Episcopos profitetur. Quapropter studiose curabit eorum auctoritatem ac consilium sectari, quos sibi duces tutoresque Summus ipse Pontifex constituit. Siquidem vero dissidium aliquod exoriri forte contigerit, res ad Apostolicam Sedem deferatur, quæ statuet quid pro rei opportunitate decernendum aut providendum fuerit.

III. — DE UNIVERSITATIS CANCELLARIO.

16. Cancellarius Vices Summi Pontificis apud Universitatem gerit. Ipsius est Episcoporum cœtum convocare, eique præsesse, gradus academicos adscito Rectore et studiorum Praefecto in Universitate conferre, diplomata cum eisdem et Decano cujusque facultatis subscribere, materias pertractandas et programmata examinum unoquoque anno in iis quæ ad doctrinam pertinent adprobare.

IV. — DE RECTORE.

17. Rector Universitatis Sacerdotio auctus esse debet, sacræ theologiæ Doctor et sodalis Congregationis Missionariorum Oblatorum Sanctissimæ et Immaculatæ Virginis Mariæ. Ipsum eligit et nominat Superior Generalis Congregationis una cum suo consilio, accedente Sanctæ Sedis approbatione.

18. Ipsius est Universitatem moderari ad trahitatem vigentium Constitutionum et Regularum.

19. In Episcoporum consilium ipsum advocari convenit corumque interesse deliberationibus, ut ea quæ oportet patescat opportunasque explanationes suppeditet.

20. Integrum ipsi erit præsesse si libuerit, cum jure ferendi suffragii, consiliis et conventibus cuiusvis facultatis in Universitate. Decreta aut præcepta quævis subsignata ab eo sint oportet.

21. Ipse cum administratorum consilio officiales Universitatis eligit, iis exceptis quorum renunciatio Superiori Generali reservatur. Ipsi jus inest, si causa non patitur moram, removendi ad breve tempus Doctores (professores) a praelectionibus tradendis, re interim delata ad senatum academicum; ipse alumnos admittet et dimittet, salvo jure recursus in devolutivo ad consilium administratoriun, ipse demum in casibus particularibus iis de rebus decernet, quibus per constitutiones aut regulas provisum forte non fuerit.

22. Ejus item officii erit dare, si quando opus fuerit, de negotiis Universitatis litteras ad Sedem Apostolicam, ad Episcopos, et ad Superiorem Generalem Congregationis Oblatorum aut Superiorum Magistratus civiles.

V. — DE RECTORIS VICARIO. — DE SECRETARIO
UNIVERSITATIS. — DE STUDIORUM PRÆFECTO. —
DE DISCIPLINÆ PRÆFECTO ET DE PROCURATORE.

23. Rectoris Vicarius sit Sacerdos, Doctor S. Theologiæ et sodalis Congregationis Oblatorum. Ipse a Superiore Generali renunciatur, salvis regulis propriæ Congregationis, auditio etiam Rectore. Nil obstat quominus ipse queat aliis etiam in Universitate officiis fungi, v. gr. Secretarii, Præfecti sive studiorum sive disciplinæ, Procuratoris aut etiam Professoris; at si in quodam horum officiorum

subesse ipsum contigerit alicui ex suis confratribus,
nihilominus ipse tanquam Rectoris Vicarius, cete-
ris omnibus, post Rectorem, semper præcedat.

24. Ipse præsto erit Rectori in suo munere
obeundo ejusque absentis vices explet.

25. Ad eum pertinet, sub Rectoris ductu, curare
ut Doctores et Officiales Universitatis in suo officio
quique ita contineantur, ut cuneta debito ordine
procedant et iis quibus par est sollicitudine diligen-
tiaque peragantur.

26. Secretarius Universitatis, cui incumbit curam
Tabularii gerere, operam navabit actis Universitatis
conficiendis et asservandis et generatim iis, quæ
oporteat, scripto consignandis. Consilii proinde
Administratorum ac Senatus academici acta litteris
notabit, documentis majoris momenti suam etiam
subscriptionem adponet, exemplarium fidem testa-
bitur, epistolis conseribendis, sub ductu Rectoris
et quatenus huic placuerit, dabit operam, demum
sub custodia ipsius sigillum Universitatis asservetur.

27. Sub rectoris auctoritate ac moderamine
Præfector studiorum de doctrina tradenda curam
gerit, advigilat ut Professores materias singulis
annis adsignatas absolvant; experimenta ut rite
fiant prævidet ac disponit, et denique curat ut
Doctores in suis præelectionibus ab Universitatis
legibus ne minimum quidem discedant.

28. Præfecti disciplinæ officium erit ea omnia
diligenter curare in Universitate quæ disciplinam

moresque respiciunt. Auctoritatem in alumnos eatus habet, ut eos ad rectam agendi rationem revocet in eaque contineat.

29. Procurator, sub auctoritate et vigilancia Rectoris et consilii Administratorum, negotia æconomica Universitatis gerit de quibus singulis mensibus Rectori ejusque consilio referet, singulis vero ternis mensibus Superiori Generali. Trimestri conventui, qui ad rationes sueæ administrationis expendendas peculiariter habebitur R. P. Provincialis præcerit.

VI. — DE ADMINISTRATORUM CONSENSIO.

30. Officiales superius memorati, nempe Rector, Rectoris Vicarius, Secretarius Universitatis, Præfектus Studiorum, Præfектus disciplinæ et Procurator, qui omnes socii erunt Congregationis Oblatorum consilium administratorum efformant idemque omnes a Superiori Generali renuncientur.

31. Consilium una conveniet singulis mensibus, vel sæpius, si id expedire Rector judicaverit. Ipsum de omnibus majoris momenti negotiis, ad Universitatem pertinentibus, deliberat, quin tamen de iis quæ a superiori auctoritate definiri debent, decreatum ferat. Ipsum vero rationem in peragendis studiis servandam aliaque quæ generalem disciplinam respiciunt auctoritate sua ad examen revocat ac tuetur.

VII. — DE SENATU ACADEMICO.

32. Quæ ad gradus academicos quomodocumque spectant per Senatus auctoritatem definitiuntur. Ipse advigilat ut statutæ conditiones ad gradus conferendos accurate serventur. Ipsi de factis ab auditoribus periculis examinatores referant, ut qui digni visi fuerint ad gradus admittat. Elenchum quæstionum pro examinibus et regulas eadem spectantes in rebus a superiori auctoritate non definitis sua auctoritate sancit, ac si quidquam immutandum in Statutis a Sancta Sede approbatis judicaverit, id cum suis rationibus ad eamdem referat.

33. Senatus Academicus efformabitur ex Archiepiscopo Ottawiensi, Cancellario Apostolico, qui principem honoris locum in eo tenet, ex Rectore, qui sub Cancellarii dependentia deliberationes moderabitur, ex Vicario, ex Praefectis studiorum et disciplinæ, ex Procuratore, ex omnibus Facultatis Theologiae Doctoribus, ex Decanis aliarum Facultatum eorumque Vicariis, accedente insuper uno Doctore in unaquaque harum facultatum quotannis electo.

34. Senatus semel saltem cogatur per annum et quotiescumque præterea de gradibus academicis agatur.

VIII. — DE DECANIS, DECANORUM VICARIIS
ET DOCTORIBUS.

35. Unaquæque Facultas proprium Decanum eliget, Decanique Vicarium. Hujusmodi electio confirmationem accipiat oportet a Rectore ejusque Consilio Administratorum. Decani eorumque Vicarii triennium in officio permanebunt ac denuo eligi semper poterunt.

36. Decanus quæ in propria Facultate doctrina tradatur attendit; mensbris Facultatis comitiis ipse præsidet.

37. Ejus forte absentis vices gerit Decani Vicarius.

38. Facultas quælibet proprium etiam sibi Secretarium eligit, qui conventuum acta atque decreta scripto notabit. Hujusmodi autem decreta, ut vim legis assequantur, rata habcantur oportet vel ab Administratorum Consilio, vel a Senatu Academico, prout rei, de qua agitur, natura expostulaverit.

39. Doctores in triplicem ordinem distinguiuntur: Doctorum Decurialium, Sociatorum et Academicorum.

40. Doctores Decuriales deligere Superioris Generalis Oblatorum est, ad cathedras quæ a Sodalibus Congregationis Oblatorum occupantur. Ad reliquas vero eosdem deligit Rector cum suo consilio, faveente tamen sententia Facultatis in qua promoveri ad docendum debet.

41. In diligendis Doctoribus Sociatis eadem ratio servetur. Ipsi in tradendis levioribus disciplinis operam generatim impendent, Doctorumque Decurialium Vices in docendo explere ad tempus poterunt, si horum quempiam aliquando aliquo impedimento detineri, aut cathedram aliquam forte vacare contigerit.

42. Academici vero privatas prælectiones habebunt aut ea quæ in scholis tradita fuerint apud auditores recolent; ac præsto sua opera Doctoribus, cum oporteat, erunt.

43. Alte autem in uniuscujusque animo fixa manent hæc præclara Verba Concilii Vaticani: « Quoniam vero satis non est hæreticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt, omnes officii monimus etiam servandi Constitutiones et decreta quibus pravæ hujusmodi opiniones, quæ isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptæ et prohibitiæ sunt. » (*Constit. de Fide cath. Can. IV.*)

IX. — DE DISCIPLINIS ET AUDITORIBUS.

44. Juxta formale Votum Leonis XIII Summi Pontificis necnon Universitatis fundatoris, disciplinæ ea perfectione tradantur quæ par est in *Optima Universitate*, curaque peculiaris habeatur ut ad mentem divi Thomæ, theologia et philosophia tradantur.

45. Qui in Universitatem admitti volunt alumni,

aut instituto periculo, aut documentis oportet ut sese probent idoneos, iisque disciplinis rite jam instructos, quibus via munitur ad Facultatem ad quam adspirant.

46. Cooptari Universitati poterunt Seminaria et Collegia. Quae ab hujusmodi cooptatis institutis data fuerint propriis alumnis diplomata de peractis bono cum exitu studiis jus præbent ad admissionem in Universitatem.

47. Alumnorum alii intra, alii extra Collegia degent. Qui in collegiis Universitatis commorantur statutas in illis sequantur regulas; proprias etiam sibi habebunt, fideliter servandas, qui extra collegia versantur. Omnes autem eo vitae instituto mores componant ut ornamento sint catholico nomini quo honestantur, et Universitati ad quam pertinent.

48. Quivis alumnus vel in collegiis degat, vel secus, si regulas Universitatis violaverit, privato aut publico monitu reprehendetur, ad tempus removebitur, vel etiam expelletur, prouti patratae culpæ gravitas postulaverit.

X. — DE GRADIBUS ACADEMICIS.

49. Ad experimentum pro gradibus assequendis ii solum admittantur alumni quos bonis moribus, honestari diligentique studio, disciplinas coluisse constet.

50. Qui digni visi fuerint alumni pericula duo facient, ore tenus unum, scripto alterum, iis servatis

conditionibus pro unaquaque facultate rite statutis.

51. Qui Doctores creantur, cum diploma collati honoris recipiunt, professionem fidei emitte, juxta formulam a Summis Pontificibus Pii IV et Pio IX præscriptam.

XI. — DE CÆLESTIBUS UNIVERSITATIS PATRONIS.

52. Universitas Ottawiensis peculiarem apud Deum Patronam habebit Beatissimam Virginem Mariam sine labe conceptam, cujus dies festus VI. Id. Dec. peculiari pietate solemnique pompa coletur.

53. Insuper Moderatores alumnique impensam devotionem tutissimum inde habituri præsidium, erga Sacratissimum Cor Jesu profitentur, eamque etiam apud cœteros pro viribus amplificandam curabunt.

54. Singulari etiam veneratione ipsi prosequentur Sanctum Josephum, Collegii Patronum, et Sanctum Thomam Aquinatem Catholicarum Scholarum Patrocinatorem cœlestem.

XII. — DE CONSTITUTIONIBUS SERVANDIS.

55. Rector cum suo consilio oportunas statuere poterit regulas quæ hisce constitutionibus servandis conserant.

56. Nihil in his constitutionibus immutari, nec

quidquam de iis derogari poterit sine adprobatione
Apostolicæ Sedis.

57. Uniuscujusque Facultatis constitutiones pro-
priæ in ipsa facultate elaborandæ, hisce gene-
ralibus Universitatis constitutionibus consentaneæ
sint et Sanctæ Sedis adprobationi submittantur.

CONSTITUTIONES PROPRIE
FACULTATUM PHILOSOPHIE, THEOLOGIE AC JURIS CANONICI

I. — DE FACULTATE PHILOSOPHICA.

1. Quum a philosophia cæterarum scientiarum recta ratio pendeat magna ex parte, plurimum interest, ut in Universitate catholica Ottawiensi « bono fidei apte respondeat et ipsi humanarum scientiarum dignitati sit consentanea ». Quocirca divi Thomæ doctrinam, et quidem juxta ipsius methodum, hisce tamen temporibus attemperatam tradere, illustrari inter præcipua officia semper habebit philosophica facultas. His accedit, expositio naturalium quas vocant scientiarum, itemque juris naturalis et œconomiae tum politice tum socialis.

2. Nullus inter philosophiæ auditores computetur, præter eos qui se, prærequisitas cognitiones acquisivisse, instituto examine, aut fide dignis documentis ostenderint.

3. Ad philosophiam tradendam aut addiscendam lingua latina utantur doctores et alumni.

4. Triennio philosophicorum studiorum curriculum complebitur.

5. Duobus tamen prioribus annis integra philosophia tradetur. Tertium vero annum cursus superior, de quo infra, occupabit.

6. Post primuia annum emensum, periculum

facere ad baccalaureatus gradum adipiscendum fas erit alumnis; prolytatus post secundum; doctoratus autem post tertium.

II. — DE FACULTATIBUS THEOLOGIÆ ET JURIS
CANONICI.

7. Cum scientiarum omnium sit parens, magistra ac fastigium in Universitate catholica Ottawiensi primum locum tenebit primasque curas sibi vindicabit Sacra Theologia, in qua præsertim divum Thomam ducem et magistrum sequi oportet. Totis igitur viribus niti debet theologica Facultas ut optimo modo tradatur ipsum dogma, et quæcumque cum ipso connectantur, videlicet, doctrina moralis, Scriptura Sacra veteris et novi Testamenti, medulla Patrum et Doctorum, historia ecclesiastica, rituum leges, eloquentiæ sacræ præcepta.

8. Hanc sacram doctrinam docendo tanquam ducem fidissimum et infallibilem præceptorem Romanum Pontificem habeant Doctores, seduloque current ne ab ipsius doctrina et auctoritate minime deflectant: ipse est enim caput et vox indeficiens Ecclesiæ, quæ est columna et firmamentum veritatis.

9. Nemo ad sacram theologiam addiscendam accedat, nisi emenso totius philosophiæ cursu, duos saltem per annos.

10. Theologiæ curriculum completum sex con-

stabit annis, in quorum quatuor prioribus omnes tradentur tractatus, ultimis duobus cursui superiori servatis.

11. Post annum secundum baccalaurei, post tertium prolytæ creari poterunt, prævio examine, Universitatis alumni; doctores vero nonnisi post expletum cursum superiorem.

12. Quod ad jus canonicum attinet, integra doctrina tribus annis tradetur : quorum primo, Institutionibus, duobus vero ultimis, juri publico ecclesiastico et enarrationi textus Decretalium opera dabitur. Institutiones tamen, una cum Sacra Theologia, et primo quidem quadriennio addiscere possunt alumni.

13. Peracto Institutionum et Theologiae cursu, ad gradum baccalaureatus contendere poterunt : post auditam per annum enarrationem textus ad prolytatum ; ad lauream autem expleto integro cursu.

III. — DE SCHOLA SUPERIORI.

14. In Universitate Ottawiensi schola superior instituenda erit cuius præcipuum officium sit viam parare ad doctoratum in philosophia, theologia et jure canonico.

15. In hac schola præcipue quæstiones ampliori et profundiori modo pertractabuntur.

16. Cursus superior philosophiæ uno anno, duo-

bus vero cursus theologiae et juris canonici absolvetur.

17. Nullus ad hanc scholam admitti poterit, nisi prolytatu pro philosophia aut theologia, baccalaureatu pro jure canonico insignitus fuerit.

18. In omnibus quidem scholis philosophiae et theologiae, sed præcipue in schola superiori frequens vigeat usus domesticarum disputationum, interdum etiam siant publicæ et solemniore.

19. Hanc superiorem scholam presbyteris et ordinum religiosorum sodalibus sequi fas erit, dummodo licentiam scriptam proprii superioris exhibuerint et prævia studia a scholæ legibus requisita compleverint.

20. Iis autem qui Universitatis scholas frequentarunt, nec possunt scholam superiorem sequi, ad lauream pro philosophia et theologia, ad prolytatum vel lauream pro jure Canonico non denegabitur aditus. Verum præter licentiam proprii Superioris de scripto, dispensationem a Decano Facultatis et Universitatis Rectore, postulare tenebuntur, quæ nonnisi gravibus de causis concedenda erit. Insuper ad se sistendum coram professore præfixis temporibus obstringentur, ut, ab ipsis directionem accipiant, et se acriter in studium incumbere neonon intellectum acquirere, privatis institutis examinibus, ratum faciant. His per biennium adimpletis, si de Sacra theologia vel jure Canonico agatur et per unicum annum si de philosophia, ad solemne periculum admittantur.

IV. — DE PERICULIS FACIENDIS.

21. Leges quæ pericula facienda regant et rationes quæ postulantum ingenium et studia testentur a senatu academico constituendæ sunt : ita tamen ut pro baccalaureatu examen per dimidiam saltem horam perdureret ; pro prolytatu per integrum horam ; et pro doctoratu per horam cum dimidio.

22. Insuper in quacumque Facultate, examen pro baccalaureatu complectatur circa dimidiam partem philosophiæ aut theologiæ aut institutiones juris ; pro prolytatu totam philosophiam aut theologiam, vel dimidiam partem Decretalium. Pro doctoratu vero theses ad minus quinquaginta totam doctrinam philosophicam aut theologicam aut juri dicam complecentes præclare defendantur.

23. In quocumque etiam periculo, scripto per tractetur quæstio aliqua e materia examinis de sumpta.

V. — DE COLLEGIO DOCTORUM.

24. Collegium Doctorum, præter Cancellarium et Rectorem complectitur decuriales et sociatos qui docendi munere funguntur.

25. Decuriales consilium Facultatis constituunt, et ex ipsis diligentur Decanus, Vicarius et Scriba. In hoc quidem consilio doctores sociati admittantur cum voce tantum consultativa.

26. Singulis mēnsibus, si visum fuerit, prædicti

doctores convenient ad deliberandum de iis ordinariis negotiis quae ad bonum Facultatis spectant. Res magni momenti, data eorum sententia, ad Consilium administrationis Rectoris aut ad Senatum deferendæ sunt.

27. Auditorum probationibus et disputationibus invitati interesse debent omnes, sententiamque suam de singulorum meritis ex conscientia proferre. Major pars suffragiorum rem decernat.

28. Doctores emeritos et honorarios collegio adnumerare fas sit : qui inter viros sive scriptis in vulgus editis claros, sive ingenio et doctrina pollentes, præhabita priorum Superiorum adprobatione diligentur.

29. Superior Generalis qui doctores decuriales et sociatos ad munus docendi promovet, ab eodem removere poterit; præ oculis tamen habeat quantum utilitatis ac decoris variis facultatibus afferant viri, scientia et experientia in docendo ditati.

30. Cum primo docendi munus aggrediuntur, et deinceps singulis annis ineunte novo studiorum cursu, professionem fidei emittent doctores, juxta formulam a SS. PP. Pio IV et Pio IX prescriptam.

31. Ad officium suum rite exequendum lege arctissima adstrictos esse eos meminisse iuvet; ex hoc enim pendent alumnorum prolectus, sacrarum scientiarum decus, Universitatis honor, Ecclesiæ demum robur et gloria.

BIBLIOTHEQUE
SAINT-SULPICE

VI. — DE PATRONIS TUTELARIBUS,

32. Patronos sibi adsciscant Joannem Apostolum
et divum Thomam.

VII. — DE CONSTITUTIONIBUS SERVANDIS.

33. Rector cum consilio suo regulas condere
potest hisce constitutionibus consentaneas et ad
earum accuratam observantiam ordinatas. Eae tamen
ut plenam et permanentem vim habeant confirmari
debent a Senatu academico.

34. Nihil in hisce Constitutionibus immutandum
aut tollendum, inconsulta Sancta Sede.

